veniret in itinere convertebat paganorum
parvulos ad deum per bona sua ammonitionem et in-
cessabili oratione mirabilia faciebat. Offerentes
ei infirmos et imponens super eos manus salvos
eos absolvebat. non tantum homines sed etiam
et diversa animalia cum se inmitterent ad ianue
Aut sicut sepius contingit. os impingi in gutture
hominis aut etiam aliud aliquod tale subito fieri
deducebat. illi eos et per dignas eius orationes
salvos eos reddebat. Accidit autem ut quedam
mulier habens filium unicum. dum piscibus porci-
onem ederet. subito os in gutture eius infigi.
ut pene mortuus maneret puer. Mater vero
eius audiens mirabilia beati illius. apportans
puerum iactavit eum ante pedes eius semivivum
cum lacrimis clamans et dicens. Miserere filio
serve salvatoris mei ihesu christi. eo quod unicus michi
est. Indicavit autem sancto blasio quod subito contige-
rat filio suo. Sanctus vero blasius manus imponens
puero. et guttur eius signans. et elevans ocu-
los ad celum oravit dicens. Qui invocantibus
te domine ihesu christe velox extitisti adiutor et salva-
tor. exaudi orationem servi tui et infixam spinam
puero isti per tuam inenarrabilem abstolle
virtutem salvans eum. Et nunc sive homines sive
etiam in volatilia contigerit aliquando infigi qua-
libet os et memor fuerit nominis mei servi tui
dicens. Domine ihesu christe verus deus meus per orationem
servi tui blasii festina in adiutorium meum. mox
fac in eum misericordiam tuam ad gloriam sancti
nominis tui. Et mox salvum reddidit puerum matri
sue. Cognitus autem erat sanctus ille et in metropolim
doctus enim erat et artis medicine. Dum ergo
pariter veniret ipse sanctus blasius. mulier quedam
paupercula unum habens suem et nullum alium
possidet nisi tantum illum. subito lupus irruens
abstulit eum. Illa vero deprecata est sanctum blasium contra
eandem feram. Sanctus autem ipse hoc audiens sub-
ridens dixit ei. Mulier noli tristari. reddetur
tibi porcus tuus. Et veniebat pariter. Ipse vero
lupus in itinere suo festinans et illesum conservans
porcum reddidit eum vidue. Ingressus autem in civita-
tem metropolim sebastie beatus blasius. iussit a-
gricolaus mittere eum in carcerem. Et alio die
preses sedens pro tribunali. iussit sibi presentari beatum
blasium. Quem videns impius ille cepit primitus
blandis eum sermonibus quasi suadere et salutis
verbum meum inchoare dicens. Gaude blasi
amice deorum. Sanctus autem blasius ridens dixit
Gaude et tu optime preses. Non enim dicas eos
deos sed demones quia eterno igni traduntur cum
hiis qui eos honorant. Iratus autem preses iussit eum
fustibus cedere. Et dum diu eum cederet. dicit pre-
sidi. Insensate et suasor errorum alienare me
speras per has penas ab amore dei mei et sal-
vatoris ihesu christi. sed non potes quia habeo confor-
tatorem meum et salvatorem christum dominum ihesum
christum filium dei vivi. Dum ergo non valeret
iniquus ille alienare eum a fide christi. iussit iterum
reduci eum in carcerem. Audiens vero fidelis
illa vetula et vidua sustentatorem sancti martiris et
athlete blasii et perseverantiam fidei eius dixit.
Occidam porcum quem recepi a fera illa
per sancti blasii iussionem. et totum caput eius
et pedes mittens in aliquo vasculo cum fructi-
bus terre lumine incenso. offerebat sancto
martiri christi in carcerem. et petiit eum sumere.
Gratias vero agens ille sanctus gustans. benedixit
eam et dixit. Mulier hoc exemplo perfice
memoriam meam. et non minuetur domus
tua bonis que dei sunt. Sed et si quis te imitans
hoc exemplo memoriam mei fecerit. in-
cessanter habebit a deo meo celeste donum
et benedictionem omnibus diebus. Et beata illa
anus accepto mandato sancti martiris recessit gau-
dens in domum suam. glorificans et benedicens
deum. Et expletum est in hac fideli vidua quod
enarretur ubique. et quod fecit ei ad memoriam
eius. Tyrannus autem ille in secreto secretario
iussit sibi presentari sanctum christi martirem blasium. et
deducto eo dicit ei preses. Blasi adorabis deos
aut velis perire? Sanctus blasius respondit. Dii
qui celum et terram non fecerunt pereant.
Illa vero que tu michi quasi me terrens tor-
menta promittis. vite michi eterne fiunt
precursores. Videns autem iniquus ille inmuta-
bilem eius mentem iussit eum in ligno su-
spendi et cum ferreis pectinibus carnes eius
carminari. Dum ergo carnes eius inciderentur
beatissimus martir christi blasius dicit impio iudici
O crudelissime penis putas me terreri? Sed
habeo dominum meum ihesum christum qui me confortat
et non dubitabo visuras penas. expectans
desiderabilia bona illa que promissa sunt quere-
ntium eum. Itaque iussit impius preses deposito eo
a ligno mittere eum in carcerem. Deportato
autem eodem sancto christi martire blasio septem beatis-
sime mulieres timentes deum sequebantur
eum. suscipientes guttas sanguinis que
ab eo cadebant et semetipsas ungentes. Quas
videntes iniqui illi qui eum ducebant. tenentes
eas deportaverunt presidi dicentes quod et
ipse christiane sunt. Videns autem eas dixit
eis. Acquiescite et sacrificate diis sacrificium.
Responderunt autem ille et dixerunt ei. Si velis
ut credamus et sacrificemus diis tuis. eamus
nos iuxta lacum et tu mitte deos tuos in
sacco bulliens eos in plumbo. et nos lavantes
facies nostras in lacu credentes sacrificabimus
eis. Letus autem effectus preses afferebat illis
deos suos. Ipse enim christiane mulieres erant-